

negociis vacuus. Ego licet sententiam grauem & similitudinem compram videam, congruentiaque verba, futilem tamen comparationem esse cerno. Quomodo enim vita sine negociis? quomodo quis enatabit à vita? qui è mari enatant, seruantur: qui ex hac vita, iuxta illius sententiam toti pereunt. Ne tamen frustra illa verba huic libro inferuerimus, dicamus eum, qui nolit perpetuò fluctuare in hac vita, sed solum natam in ea, oportere esse explicitum ab omni onere atque impedimento. Velut enim naui oneraria cum onusta est, surgente tempestate, magno versatur in periculo, vacua superat vndas: ita vita nostra negociis oppressa, si bellum, seditio aut alia calamitas superueniat, mergitur. Atque id rebus ipsis & experimentis congruit. Quidam cum emissit frumentum spe belli, & ob pacem euilisset, laqueo se suspendit. Alius eum arma in bello Principi vendidisset non numerata pecunia, illo succumbente, perpetuo in posterum mendicauit. Alius cum in pace multa emissit, bello superueniente direptis quæ emerat, dolore periit. Ergo qui in sui potestate collocat ea, quæ ad felicitatem pertinent, is felix est prorsus. Sed non possumus. Verte igitur & dic, qui felicitatem in his colat, quæ in nostra potestate sunt, huic facile erit felicitatem assequi, & de ea assequenda securus erit. Quod si sinistri quidquam euenierit, non euertitur à fortuna, sed concutitur. Quid enim stultius, quàm felicitatem in casibus collocare, qui vt secundi eueniant non nostri est arbitrij, sed fortunæ aut alterius potentioris causæ? Itaque accipere beneficium, arbitrij est dantis: impendere, nostri. In præstandis ergo beneficiis felicitatem nostram collocabimus, non in accipiendis. Sic honesta desideria, læta vita, operatio secundum virtutem, studia sapientiæ, recta consilia, fermè semper in nostra potestate sunt, & secunda eorum possessio: ideoque in huiusmodi rebus collocanda felicitas. Est enim arbitrij nostri, collocare felicitatem in quacunque re voluerimus, modo vel bona sit, vel differens; vt potentia, diuitiæ, robur. Vnde homo fermè semper tam felix est, maximè sapiens & fortis, quantum se esse vult. Cum enim felicitatem in his collocauerit, quæ prorsus sua sint: imò quæ iam possidet, planè is omnibus numeris felix erit. Vade qui dixit. Nosce te ipsum: melius forsitan dixisset, Impera tibi ipsi. In illo enim magnum est bonum, in hoc verò summum. Est autem hoc illius, qui prudens est & fortis, vsuque assuevit paulatim sibi ipsi imperare. Id verò assuevit paulatim sibi ipsi imperare. Qui sibi imperat, similis est equum fræno regenti: qui autem assuevit iam cupiditatibus imperare, equum mansuetum cum fræno equitanti: qui non imperare assuevit, nec imperat cupiditatibus, equitanti agrestem equum absque fræno. Primus igitur non sine maximis difficultatibus seruabit se: secundus, sine difficultatibus & periculo lætus & cum voluptate peraget propositum iter: tertius, aut ab equo excutietur, aut agetur in præceps. Solus ergo sapiens felix esse potest: quia quæ cupit, possidet, & securus, nec putat sibi quidquam deesse. Ostendemus autem infra hæc ad felicem

pertinere, licet ad felicitatem non sit necessarium, vt securus possideat. Sapiens igitur cum tuto, quæ cupit, possideat, nec putet sibi quidquam deesse, quod omnia hæc in sua sint potestate, felix est. Alij nec tuto, quæ habent, possident: imò nec securi, cognoscuntque multa sibi deesse, quantumuis suas opes ac potentiam ostendent. Non igitur, etiam secundum Epicurum, qui sapiens non est, felix esse potest. Si ergo sapiens felix esse potest, qui sapiens non est, felix esse non potest. Sed solus sapiens felix esse potest: ergo sapientiam totis viribus quærere oportet. Quod verò arbitrij nostri sit, vbi nobis imperare didicerimus, quocumque voluerimus felicitatem collocare, ex hoc manifestum est. Explere cupiditatem iucundum est: iucundi autem possessio parit felicitatem: iam si omnes, vt dixi, ramos ex arboris trunco præciderimus, in ipso trunco iacebit tota felicitas, nihil aliud nobis ex decreto optantibus. At cupiditatem nostram ex concessis in eo qui sibi imperat, quocumque voluerimus transferre licet, atque ibi collocare: certum est igitur absolutam felicitatem in quocumque sapiente, qui sibi imperare possit, quacumque in re velit, constitui posse.

Iam ergo felicitatem absolutam in manibus sapientis, qui sibi imperare possit, irretitam habemus. Qua in re igitur illam collocabit, seu quibus in rebus? Plures enim sapienti, etsi possit sibi imperare, sunt necessaria: nimirum quæ ad victum requiruntur & existimationem retinendam. Non potest autem vsquam melius, quàm in sapientiæ studiis. Qui enim vtilia scripsere documenta, successorum sunt procuratores. Idem ergo & de nobis si studuerimus, si inuenerimus, si scriptis mandauerimus, posterisq; tradiderimus. Oportet autem, vt antea dixi, in studiis & authoribus habere delectum, vt præcipuis insistamus. Quod si aliquando relaxandi animi atque recreandi gratia ad alios nos conuerterimus, statim redeundum, ne quandoquidem vita nostra aded labilis sit & breuis, ad metam prius quàm scopum nostrum perueniamus. Vbi verò ad sapientiam peruenimus, erimus quasi in tuto. Est enim sapientiæ nomen venerabile, nec vnquam aded malitia præualebit, temporaque infesta erunt, vt Philosophiæ nomen sacrum non sit. Verum nec publicè profiteri necessarium est, sed sapientem se præstare, & non tam studiis, quam etiam actionibus. Nec velle leges euertere, seducere plebem, certare cum imperitis, gloriam docendo captare: sed sapere & occultare, temporumque, loci, consuetudinis, imperantium, & hominum, cum quibus versaris, rationem habere: confidere etiam in iustis actionibus, & quod æquissimum est sperare. Si tamen perpeti cogaris iniustissima, si aduersa, si etiam dolores ac cruciatus, æquo tu animo fer, tecum dicens, multa & ego feci & horum causa tamen non fui. Terribilissimum est, quo te afficere possunt, cruciatus & mors. At quales cruciatus perfert podagricus & nephriticus? imò puella dum parit? & quàm commodè illa ferunt? Et tu cum tua sapientia his vilior eris? Sed manent diutius? Deest nobis, quod illis præsens est, solatium?